



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**LEGVM PON||IFICIARVM GRE-||gorij noni, seu  
Decretalium pentateu-||chus**

**Mesnart, Martin**

**Parisiis, 1555**

xxi. De clericis peregrinis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63486](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-63486)

*De clericis peregrinis. Tit. 21.*

**L**OCORVM episcopi, ne sibi vel per literas, <sup>3. Tua.</sup>  
vel per testes de canonica ordinatione eo-  
rum, qui sine commendaciis literis venerint,  
& penitus ignoti erunt, legitimè constiterit, eos  
in plebis suis celebrare ne sinunto. si secretò  
& in furuo ex deuotione celebrare volent: su-  
stinentur liceto.

Itaque qui transmarini & aliás incogniti in <sup>1. Tua.</sup>  
remotis regionibus agēt, quinque episcoporum  
ad minus testimonio iuuantur. In suspensione  
aliquanto tempore habentur. in eo episcopi de  
actibus eorum pleniùs instruuntur. De inferio-  
ribus quoque ordinibus, ne quos saltu præter-  
missint, anquiritor his peractis, si digni inuenti  
erunt, circa eos dispensator.

Si se in quouis ecclesiasticorum ordinum <sup>2. Inter</sup>  
constitutos adserent, & ad maiores ordines pro- <sup>Quatuor.</sup>  
moueri postulabunt: sine ordinotorum suorum  
literis nec in iis quos habere se dicunt, licet iu-  
ramentum offerant, suscipiuntur, nec ad ma-  
iores promouentur. conuersatio eorum ante  
probator.

Ecclesiarum quoque prælati in ecclesiis sibi <sup>4. Tene-</sup>  
commissis absque episcopi, cuius ipsi iurisdi- <sup>bis.</sup>  
ctioni subsunt, conscientia de alienis episcopa-  
tibus clericos ne instituunto. si instituent: epi-  
scopo, nisi quos ex dispensatione dimittundos  
duxerit, amouere liceto.

D